

22. ἐπὶ) cum Accusativo Apud.
 29. πρὸς ἑσπέραν ἐστὶ) Circà vesperam est.
 37. Spiritum) Scil. humano corpore indutum.
 44. Cum essem adhuc vobiscum) Scil. antè statum glorificationis meæ, in carne infirmâ & humili, in statu humiliationis meæ, & conversatione illâ visibili vobis familiari & consuetâ, antè mortem meam. Similis locutio est 2. Thess. 2, 5.

IN JOHANNEM.

CAP. I.

Vers. 1.

IN principio) rerum, non Evangelii. Conf. de hâc phrasi Gen. 1, 1. Eph. 1, 4. 2. Tim. 1, 9. Ps. 55, 20. Matth. 13, 35.

1. Verbum) Hypostaticum. Ps. 33, 6. 1. Reg. 18, 31.

6. ὄνομα αὐτῷ Ἰωάννης) pro ᾧ ὄνομα Ἰωάννης, per Hebraismum, pronomen demonstrativum pro relativo.

9.) Ellipsis pronominis relativi qui, quæ, quod etiam in N. T. occurrit. Conf. c. 7, 49. c. 8, 53.

9. Quod illuminat omnes homines) quoad voluntatem antecedentem & intentionem primam, quantum in ipsâ luce est, licet multi suâ culpâ non illuminentur.

12. Qui autem receperant illum) Scil. fide salvificâ in apprehensione & acceptatione Christi.

14.) Conf. Deut. 33, 16. Ex. 3, 2.

16. Et ex ipsius abundantia nos omnes accepimus, videlicet gratiam pro gratiâ) i. e. gratuitam & immeritam: quemadmodum enim χάρις significat gratis vel gratuito; ita & χάρις posterius est gratuito, q. d. Germ. umb nichts/ umbsonst, ita ut sensus sit, nobis contingere hanc gratiam per Christum, nihil tale merentibus, adeoque gratis. Hebr. חַנּוּן חַנּוּן חַנּוּן Vel Gratiam super, ultra & præ gratiâ, Gnade über Gnade/ ut in Lingvâ Germ. loquimur h. e. excellentissimam, copiosam & uberrimam gratiam. Sicut Job. 2, 4. pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro animâ suâ, h. e. omnem pellem, omnes facultates suas, (ut statim exponitur,) quæ tunc in pellibus & pecudibus sitæ erant. Conf. Amos 3, 15. Rom. 15, 15. Eph. 1, 6.

E

Vel: